

discellisse (inquam) quod ea praxi nonnulli hæresiarchæ abuterentur?

Ad V. Epiphanius loquitur de Sacrificio sumpto secundum substantiam, non vero secundum modum; hoc est secundum ejus materiam; quod sic explicat Juveninus, Epiphanium innuere voluisse quod Ebionitæ consueverant afferre sacrificium, sicuti Catholici offerebant; quod autem non adhibuerint eandem materiam, ex eodem Epiphanio probat ipsemet Juveninus.

Ad VI. Cardinalis Humbertus non loquebatur de azymo pane, sed de pane integro, ut consecrabant Romani, quando Græci prius panem in frusta dividebant, & postea consecrabant; & hæc sunt verba Humberti: *Neque enim, ipse Dominus panem in Calice immisit (sicut Græci solent); & sic Apostolis dedit dicens, Accipite, & cum cocleari comedite, hoc est enim Corpus meum; sed sicut Sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem integrum benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit quam reverendam Angelis institutionem etiam Sancta Sion retinuit Ex ipsa Sancta Civitate Hierusalem exiit fides Christiana; in ipso sancto loco adimpletur divina, & immaculata oblatio Domini nostri Jesu Christi, sicut decet per ordinem, pura quia bene faciunt ibi quod non nisi integri, & sanas ponunt ipsas oblationes in Sanctas patinas, nec, quomodo Græci habent, lanceam ferream, qua scindant in modum crucis ipsam oblationem; id est pro sancto Missæ . . . Lanceam ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Jesu aperuit.*

Ad VII. dicitur, quod Cæularius id non refert ex visu, sed ex auditu tantum; insuper non dicit, quod semper Patriarchæ, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, in azymo consecraverint, sed aliquando; quod tunc fuisse putatur, quando Latini, devotionis, & peregrinationis causa, erga Hierosolymam abibant; & tunc ne Latinis scandali occasionem darent: Et quod etiam putarent, vel in azymo, vel in fermentato consecrare, esset res potius ad ritum, quam ad dogma spectans.

Pro II. Dissertationis parte, nec pariter conveniunt Scriptores nostri; siquidem Sirmondus in disquisitione de azymo docet, utranque Ecclesiam, Latinam, & Græcam, solum fermenta-

tum panem consecrasse per novem priora secula; & azymorum usum in Ecclesiam Latinam irrepisse eo tempore, quod effluxit a Photiano Schismate usque ad Cæularium: scilicet ab anno 886. ad annum 1053.; alii vero Scriptores volunt, Ecclesiam Latinam quovis seculo in azymo consecrasse, & fermentatum nunquam adhibuisse. Alii ex adverso tenent, Latinos per sex priora secula utrunque panem indifferenter usurpasse; & azymum solum sensim sine sensu post septimum seculum remansisse.

Dicimus II. Ecclesiam Latinam per sex priora secula adhibuisse in sacrificiis, & azymum, & fermentatum indifferenter; solum azymum panem in quibusdam Ecclesiis circa seculum septimum adhibitum fuisse; & ante Photii tempora fermentatum panem ab omnibus Occidentalibus Ecclesiis fuisse exclusum. Tres habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars I. probatur. Christus Dominus, azymo pane, ut ex Evangelio constat, bis usus est, quando in Emmaus cum Discipulis manducavit. Apostoli vero non ita in promptu habebant panem azymum, ut habebant fermentatum; & proinde credendum est, quod modo in uno, modo in altero consecraverint. Præterea panis consecratus conservabatur a Fidelibus; si autem in azymo fuisset, eum facile Gentiles cognovissent, & proculcassent. Denique consecrationes fiebant ex pane, & vino, quæ offerrebant fideles; fideles vero non offerrebant panem azymum, qui in usu communi non erat, sed fermentatum, quo in suis mensis utebantur.

II. probatur ex Romanis Pontificibus, qui in suis Decretalibus loquuntur de fermento, per quod intelligitur fermentatus panis; & omnis Epistolis, quæ tribuuntur, vel Damaso, vel Melchiodi, vel Siricio, afferimus illam, quæ absque dubio est Innocentii I. ad Decentium, Episcopum Eugubinum, in qua cap. 5. hæc habet: *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesia nostra intra civitatem sint constituta, quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco*